Dissertatio inauguralis medica physica, de singulari mercurii dulcis usu in desperatis quibusdam morbis ... / [Johann Havighorst].

Contributors

Havighorst, Johann, 1702-
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1724]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qmza3myc

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

7,927/B
L. XIII

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA,

DE

SINGULARI MERCURII DULCIS USU IN DESPERATIS QUIBUSDAM MORBIS,

QVAM

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO,

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES, ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXIV. D. SEPT.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,

RESPONSURUS AUCTOR

JOANNES HAVIGHORST,

RHENA-WESTPHALUS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

Tupenda mercurii natura omnium oculos in se conuertit, eademque, ut credibile est, primum chymiatros desiderio inflammauit experiundi, *quali vi* aut per se hominem adgrederetur, aut aliis formis indutus ad *medendum* aegris corporibus valeret. *Vsus mercurii medicus*

Paullatim igitur periclitando, vt primum ARABES mercurii vsum in vlceribus efficacem esse cognouerunt, praeeunte postmodum inprimis THEOPHRASTO PARACELSO complures nostro sub caelo facti sunt alacriores, ad mercurium crebris variarum operationum tentaminibus subiiciendum, et quae inde oriebantur producta aegrotantibus subinde applicanda. *1) repertus ab Arabibus* *2) propagatus a Paracelso.*

Etsi autem hi mentem Helvetii huius anteſignani multis aenigmatibus inuolutam extricare et iactatorum ab eo arcanorum notitiam consequi raro, aut nunquam potuerint; acri tamen conten- *3) excultus ab huius assecla.*

tione non mediocres nec ſpernendos in hoc ſtudio *progreſſus feciſſe*, et permulta ante hac incognita, frementibus licet GALENICIS, *in lucem protuliſſe*, ipſumque potentiſſimum e mercurio venenum in ſalutare medicamen *transformaſſe* apparet.

Vnde varia mercurii praeparata inter quae

Progrediente aetate et ſolerti artificum diligentia, ſenſim hinc manauit tanta generoſiorum *mercurialium remediorum multitudo*, vt hodie pharmacia chymica admirando hoc naturae foetu velut praecipuo quodam columine ſubniti quibusdam videatur.

Nec facile quisquam inficiabitur, non pauca beneficio ſolutionis, praecipitationis aut ſublimationis aliis ex rebus cum mercurio componi, quibus in diuerſis morbis ſeu laeſionibus ad ſanitatem redintegrandam optato cum fructu medici vtuntur; quamquam ſimul fatendum eſt, multorum, quae proſtant, mercurialium effectuum infra ſpem ſubſiſtere, quaedam etiam non ſolum nimiis laudibus onerari, quas prouida recentiorum experientia non agnoſcit; verum quoque alia (vt *mercurium praecipitatum rubrum*, *turpethum minerale* etc.) intus data, infidam vim edere et periculoſis identidem incommodis aegrum adfligere, alia vt *mercurium ſublimatum*, quem CONSULTISSIMUS PRAESES *temerarium* chirurgorum imperitorum *remedium* vocat, (*a*) peſtem et exitium moliri.

multa interne intuta

pauca probata

Quapropter ad internum praecipue vſum *delectum*

(*a*) In ſuccincta ſua materia medica Sect. III. pag. 481.

ctum mitiorum mercurialium, quorum ſalubritatem quotidiana praxis euincit, habendum eſſe, cum aliis circumſpectis Medicis ſentio.

Atque inter haec fere virtutibus ſuis eminent, vel ſaltem notiſſima ſatisque frequentibus experimentis probata ſunt *cinnabaris & mercurius dulcis*, vtraque ad praeſcriptum optimorum Chymicorum exacte confecta. *vti praecipue*

Sic *illa* quidem egregium nobis ſedatiuum praebet in effera motuum intenſione, ſpaſmis, variisque doloribus et congeſtionibus praeſtans, omnibusque opiatis fere tutius et conuenientius. (*b*) *1) Cinnabaris*

Mercurius dulcis vero, exigua doſeos mole, ſapore non ingrato, effectu ſatis placido et polychreſto adeo ſe commendat hodiernis Chymiatris, vt ad expugnandas varias aegritudines frequentiſſime in ſubſidium aduocetur. *2) mercurius dulcis*

De *cuius vſu* dum in praeſentiarum *diſſerere* in animum induxi, equidem non ignoro vires illius iam ab aliis late praedicatas et publicae luci expoſitas fuiſſe; ſed tamen, cum duce experientiſſimo viro Dn. D. IVNCKERO, PRAECEPTORE meo aetatem colendo *ſingularis* mihi *methodus* mercurii dulcis adhibendi innotuerit, quam et efficaciſſimam in rebellibus quibusdam malis ſuperandis expertus ſum, et nusquam alibi pro dignitate plani- *e cuius vſu occaſio huius thematis.*

(*b*) vid. D. D. PRAESES l. c. p. 484. Excell. HOFFMANNVS in diſp. de mercurio et medicament. ſelect. mercurial. Theſ. XVI. p. 27.

us euolutam exſtare memini; non praereptam ſed datam mihi eſſe occaſionem putaui, hanc materiam ſub finem ſtudiorum meorum academicorum cum Practicis communicandi. Sicut ergo id potiſſimum erit ſpeciminis huius argumentum, ita DEVM T. O. M. ſupplicibus votis venerabundus inuoco, vt primos hoſce conatus gratia ſua ſecundare, eosdemque ad nominis ſui gloriam hominumque ſalutem dirigere clementiſſime dignetur.

CAPVT I.
DE VSV MERCVRII DVLCIS VVLGARI.

§. I.

Omiſſae praeparationis rationes.

NOn dubito fore plerosque, qui (vti in fuſioribus diſſertationibus fieri ſolet) explicationem *principiorum* tam mercurii ſublimati, quam mercurii currentis, ex quibus hoc concretum conflatur, hic deſiderabunt, nec contenti erunt, vbi dulcis illius mercurii *praeparationem* multis exquiſitis cautionibus circumſcribendam a me prorſus neglectam eſſe intuentur. At hi dum ne graueutur auſcultare paullulum *rationes* quae me ad id agendum potiſſimum impulerunt, facile, vt credo, mecum in gratiam redibunt. Vti enim iam in praeloquio monui, ſtatutum mihi eſt hoc ſollemni ſpecimine mercurii dulcis ſeu draconis, vt quidam vocant, mitigati vſum tum ſatis cognitum et in vulgus editum, tum praecipue ſingularem, prout peculiari methodo datus ad feliciſſimam deſperatorum quorundam morborum curationem nobis inſerviit,

viit, deſcribere. In quo dum ſatis amplam diſſerendi materiam mihi nactus videor, ſuperfluum et a propoſito meo ſeiunctum foret, principia et praeparationem ab aliis traditam hic repetere, praeſertim cum hodiernorum chymicorum ſolertia modum elaborandi tam clare et prouide publicis in ſcriptis docuerit, vt nihil addi poſſit luculentius.

§. II.

Obiectio de viru huius Mercurii.

Primum igitur vulgarem mercurii dulcis vſum brevi praeluſione explicaturus, antequam vltra progrediar, paucis occurrendum puto eorum *obiectionibus*, qui non tantum debitis ei laudibus detrahunt, ſed e pharmacorum claſſe ipſum plane relegandum arbitrantur; cauſſati, *virus* illius non domitum ſed leuibus ſolum inuolucris occultatum eſſe; mercurium ſublimatum ſcilicet larua ſolum curentis indui, ceterum his aliisque artificiis neutiquam coërceri, quin ferali vehementia in viſcera noſtra ſaeuire poſſit; immo etiam licet mercurius dulcis inſipidus ac omnis fere acrimoniae expers ſit, tamen eum, ſimulatque in humores noſtros ſeſe inſinuet, a particulis horum acidis, ſalinis, ponticis *exacui* et infeſtiſſimam arrodentem qualitatem recuperare.

1.

2.

§. III.

Reſponſio ad obj. 1.

Specioſus fateor hic color et ſpeculatio eſt, quae multos ab vſu huius remedii deterruit. Neque *a priori* euidentes et inuictae rationes ſuppetunt, cur mercurii viui ſatis larga additio validiſſimum venenum in ſalutarem medicinam conuertat, niſi quod generatim acidum ſalis communis concentratum, quod mercurio ſublimato abundantius inhaeret, a viuo adiecto et interpoſito ſaturari, adeoque vim eius ſepticam, quem cum paucioribus mercurii moleculis ſubtiliter ſolutis ediderat, infringi dicere poſſimus.

1) a priori difficilis

§. IV.

Sed profecto cum mercurium ſublimatum album gu-

2) a ſapore et

effectu externo. guſtatu aſperrimum eſſe et praeſentiſſimam vim ſuam terribili roſione partes corporis adgrediendi ac deſtruendi exercere, contra mercurium dulcem *inſipidum* exiſtere, et in ipſa ſolutione continui e. g. vlceribus venereis impuritates *ſegnius conſumere* et emendare, ac de reliquo extus detergentis qualitatis participem eſſe nouimus; tum ex eo iam probabiliter colligi poteſt, internum illius vſum non tantum periculi creare, quantum chymiae hoſtes, aut alii praeconceptis opinionibus imbuti fingunt potius, quam iuſtis de cauſſis reformidant.

§. V.

3) Ab experientia recentiorum. Quid autem opus eſt his immorari? cum *recentiores* iidemque feliciſſimi Practici haec omnia iam extra ambiguitatis aleam poſuerint et mercurii dulcis efficaciam non modo *tutiſſimam* ſed et in permultis affectibus internis leniendis, aut debellandis *ſaluberrimam*, infinitis propemodum exemplis comprobarint. Ex quo fit, vt qui hodie ipſum ſuſpicione veneni onerare adhuc ſuſtinet, plurimis ſe deridendum praebeat.

§. VI.

Reſp. ad obj. 2. His itaque facile quis acquieſcere poteſt, niſi forte ſuſpicetur mercurium dulcem a cacochymicis humoribus denuo *exacui* et grauiter nocendi vim recuperare. At ſane neque haec obiectio tanti valet, vt ſcrupulos nobis iniicere, vſumque mercurii dulcis ſuſpectum reddere poſſit. *1) a priori* Nam et *a priori* nusquam ſalia in tanta ubertate apparent, quae magnam habeant poteſtatem mercurii in ſpicula feralia exaſperandi, et ſi aliquando praeſto eſſent in corpore noſtro, tamen haud ita prompte ſe mercurio adiungerent. *2) poſteriori* *A poſteriori* vero experientia idem meridiana luce clarius demonſtrat, plurimosque in nullum incommodum, ne dicam grauius a veneno metuendum periculum incucurriſſe teſtatur. Quapropter etiam alii hic nodum in ſcirpo quaeri et nimiam plerumque formidinem inani quodam praetextu tegi iudicant.

cant. Quamuis de cetero ad qualemcunque moleſtiam praeuertendam conſultum ſit praecipue in illis, quos largiori acido primarum regionum aut acribus humorum corruptelis obnoxios videmus, mercurii dulcis vſum commodo quodam abſorbente comitari.

§. VII.

Sed iam oblocuturos praeuideo, triſtia paſſim etiam *documenta* exſtare, quae *noxium* et *lethiferum effectum*, quem mercurius dulcis vel potius compoſitio pro eo venditata interdum *edidiſſe* legitur, aperuerunt, adeoque conceptam de venenata eius indole opinionem confirmaſſe videntur. *exempla in contrarium*

§. VIII.

Neque negamus hoc factum eſſe; quodſi autem paullo diligentius in tragicorum eiusmodi euentuum cauſſas inquirere libeat, patebit longe aliter, ac quidam interpretati ſunt, ſe rem habuiſſe, et vel praeſcribentium *errorem* vel *incuriam* et inſcitiam famulorum, qui in officinis pharmaceuticis talem mercurium oſcitanter elaborarant, vel vtentium *imprudentiam* aut *deploratam conſtitutionem* etc. iure arguendam fuiſſe. Quod vt paucis declarem notiſſimum eſt referente B. WEDELIO (*c*), in diſpenſatorio Auguſtano pluribus annis ſub titulo mercurii dulcis parandi vſitatam fuiſſe proportionem mercurii ſublimati vnc. VIII. ad mercurii viui vnc. VI. ex qua ſi perfunctorio labore mercurius dulcis conficiatur, infidos et funeſtos nonnunquam effectus prodiiſſe non eſt mirandum. Sic alibi aliae cautiones, in praepatatione neceſſariae, neglectae ſunt; alibi in *doſeos mole* error commiſſus, vti obſeruatio conſtat (*d*) de viro, qui vnciam ſemis mercurii dulcis bene praeparati aſſumſit, et intra XXIV. horas diem obiit ſupremum; alibi acriorum rerum *admixtione*, *nihil probant*

(*c*) vid. diſp. de mercurio dulci,
(*d*) in M. N. C.

aut non ſatis perpenſis aegri aetate viribus morbi tempore aliisque circumſtantiis, a recta medendi methodo aberratum eſt, vti luctuoſa talium peccatorum exempla excell. viri WEDELIVS, STAHLIVS et HOFFMANNVS publicarunt (*e*).

§. IX.

Opus tamen eſt circumſpectione.

Iniurii ergo in mercurium dulcem ſunt, qui culpam noxarum ex aliis cauſſis orientium ipſi temere impingunt, indeque veneni ſtigma inurere conantur. Quodſi enim rem recta nobiscum reputemus, nihil eſt, quod iuſtum cuiquam timorem poſſit incutere, dummodo quis de legitima eius praeparatione certiſſimus ſit, eaque omnia praecepta, quae ſicut in aliorum medicamentorum, ita et in huius praeſidii vſu tenenda ſunt, probe exerceat et in aegrotantium ſalutem conuertere norit.

§. X.

Effectus mercurii dulcis generalis internus

1) colliquans

Abſterſis breuiter maculis, quas nimium ſcrupuloſi mercurio dulci aſpergere tentarunt, et innocentia eius vindicata, nunc eo maiore fiducio pergere licebit ad *effectus* illius tam *generales*, quam ſpeciales plerisque medentium agnitos paucis, vt inſtituti ratio exigit, delibandos. Agit autem ille euidentius in lympham et ſerum mucidum, deprauatum, idque attenuat *colliquat*, et ſi congruente doſi propinetur, per inteſtina efficaciter educit; eo quidem vtilior, magisque recipiendus, quo minus facile moleſta adſtrictionis aluinae incommoda, quae ab aliis praecipue reſinoſis catharcticis ſaepiſſime remanent, poſtmodum relinquit. Quapropter inter *phlegmagoga* principem ferme locum ſibi depoſcit; atque a noſtrae aetatis medicis ad formulas purgantes et laxantes frequentiſſime

2) catharcticus

expe-

(*e*) vid. Exc. HOFFMANNI Medic. conſultat. Tom. I. Deci V. caſ. IIX. conf. Exc. STAHLII diſp. de officio medic. circa caſus chirurg. §. XLV. p. 40.

expetitur. Porro cum viſcidam dictorum humorum ſpiſſitudinem corrigit, tum etiam idoneus cenſetur ad prognatas inde glandularum aliorumque tubulorum obſtructiones *reſerandas*. 3) *aperiens*

§. XI.

Inprimis vero *anthelminticam* illius virtutem practici non immerito celebrant. Etſi enim omnia mercurialia vermibus perniciem et internecionem minentur; tamen cum mercurius dulcis eosdem non ſolum tuto exſtinguat, ſed e finibus corporis ſimul proſcribere ſoleat, credo non falli, qui quandam ei praerogatiuam tribuendam eſſe contendunt. Et ſane ſi cuiquam praeſidio tantum ſit fidendum, vt hoſpites tales moleſtos, qui ſubinde contumaciſſimi ſunt et ad mortem vsque aegros diuexant atque exhauriunt, eiicere queat; certe in hoc potiſſimum mercurio ſpem auxilii collocari poſſe exiſtimaverim, memor eorum, quae paſſim de huiusmodi optato vſu practici litteris (*f*) mandarunt: aliique fide digniſſimi impertire mihi voluerunt. (*g*) 4) *anthelminticus*

§. XII.

Denique etiam, ſi repetitis doſibus per aliquot dies praebeatur, hodie inclaruit huius mercurii vis *ſaliuationem* ciendi, quae vtique ex ſententia et proſpere ſuccedit, ſi debitis cautionum terminis circumcludatur. *Ex-* 5) *ſaliuatorius.*

(*f*) vid. WEDEL. diſſert. de merc. dulc. p. 31.

(*g*) Quo loco reminiſcor caſus a D. D. PRAESIDE communicati, cui aliquando contigit, vt puella atrociſſimis et quaſi daemoniacis conuulſionibus vexata, cum mercurio dulci non modo a ſtupenda vermium congerie, ſed et ab eodem miſerrimo morbo leberata fuerit. Pariter etiam a quodam celeb. Practico mihi relatum eſt, ſe duabus virginibus per frequentum vſum mercurii dulcis vltra 500. vermes expuliſſe; omnem medicationem antea fruſtratos.

externus.

terne tandem mercurius dulcis abſtergentem, mundificantem et efficacius colliquantem edit effectum, vti haec pariter ac ſuperiora iam ſpecialius ſed tamen ſuccincte explicabimus.

§. XIII.

Effectus ſpecialis internus

1) polychreſtus

Itaque in illorum morborum cenſu, quibus leuandis aut deuincendis mercurii dulcis vſus deſtinatur, praecipue ſe nobis offerunt, mala ex muco primas vias aggravante nata vt nauſea, cardialgia frigida, colica pituitoſa, item tuſſis catarrhalis aſthma humidum, cachexia mucida, ſcabies, atrophia, in quibus attenuatione et correctione et euacuatione materiae ſpiſſioris viam optime munit ad perfectam medelam, atque in his tantum non omnibus aliis palmam dubiam reddit. Neque quicquam eſt, quod dubitare nos ſinat, quin ipſis *infantibus* eiusmodi malorum genere afflictis vſus mercurii dulcis ſingulare leuamen vel auxilium polliceatur. Etſi enim quidam inde incommoda praemetuant, tamen e perpetuis documentis conſtat, hoc remedium, dummodo non plane teneris detur, in impuritate inteſtinorum pituitoſa, atrophia infantum et tutiſſimum exiſtere, et raro ſpem felicioris euentus fruſtrari. (*h*) Accedit quod verminoſam colluuiem exterminet, tales morbos frequenter ſuſtentantem, et ſubinde ad horridas motuum exacerbationes et conuulſiones anſam praebentem, ut antea monitum. Praeterea reſoluendi ſcopo non inepte pertinacibus *ſcirrhis*, quos fruſtra ſaepe aliis tentaminibus oppugnamus, nonnunquam opponitur; nec deſerit medentem in *ſcabie repulſa*, ſi quidem ipſum mature porrigendi faueat occaſio: Denique ſpecifice quaſi emendare valet *corruptelas venereas*, adeoque in gonorrhoea, fluore albo, lue Gallica etc. non minimum ſpondere emolumentum ab omnibus fere

etiam in infantibus

2) in ſcirrhis

3) in ſcabie repulſa

4) in malis venereis

(*h*) conf. STAHL. Diſſ. de affect. infant. cap. 4. p. 33.

fere practicis confirmatur. Incongruens autem et *suspectus* eius vsus est ad *hypochondriacorum* sanguinem in statum magis fluidum reuocandum et *scorbuticam* labem corrigendam; nam complures inde acriora mala pullulare experti sunt, (*i*) ipsumque propterea in his morbis reiiciendum esse censuerunt. (*k*)

suspectus in m. hypoch. et scorbuto

§. XIV.

Extrinsecus abstergentem et emundantem efficaciam edit in sordibus *serpiginosis*, herpete etc. quamuis non adeo crebro adhibeatur; itemque ad vsum *cosmeticum* vulgo traducitur. Verum hic tamen ETMVLLERVM audiendum esse arbitror, qui a frequenti mercurialium illitu, vbi primo faciem nitidiorem reddidit, defluuium capillorum, dentium nigrorem ac vacillationem, cutem scabram maioremque foeditatem denique [velut pulcerrimum vanitatis praemium] reportari obseruat. Tandem etiam eum ad *vlcerum venereorum* curationem in subsidium aduocari nouimus, praecipue si haec partes teneriores aut aliis de causis validiorum vsum prohibentes e. g. fauces obsideant. Cum autem alibi in sordibus lentis, et excrescente materia fungosa absumendis, segniorem sese gerere mercurius dulcis deprehendatur; tum si in locum eius praecipitatum rubrum dextre substituere sciamus, spes est nos citius ad scopum restaurandae lactionis esse peruenturos. (*l*)

Externus in serpiginosis ad fucum infidus

lenis in vlc. venereis

§. XV.

De *modo adhibendi* plura hic (*m*) attexere non libet,

modus adhibendi

(*i*) conf. D. D. IVNCK. Tab. medic. Tab. XXXVI. p. 325. No. 16. it. Tab. XCI. p. 748.

(*k*) conf. D D. PRAES. prax. cap. LXI. §. 5. No. 4.

(*l*) conf. D. D. IVNCKER. chirurg. Tab. XXXIX. p. 268. No. 2. it. DORINGIVS in epist. ad FABRIT.

(*m*) de dosi vid. cap. seq.

ne praeſtitutos limites egrediamur. Illud haud plane abs re erit monere mercurium dulcem plerumque ſatis magna doſi inprimis cum aliis laxantibus in *pilularum* formam redactis praeſcribi, vulgoque metui, ne, ſi in *pulueris* forma detur, fauces arrodat, aliudue grauius detrimentum importet; quamquam nihil periculi ſubeſſe, dummodo probe comminutus et cum abſorbente quodam et puluere ialappae miſtus praebeatur, quotidiana nos abunde doceant experimenta.

in pilulis

et in puluere

CAPUT II.
DE VSV MERCVRII DVLCIS SINGVLARI.

§. I.

Authores praemittuntur mercurium dulcem propinantes.

HActenus vſum mercurii dulcis vulgarem ea, quae propoſito meo conſentanea eſt, breuitate complexus, et iam methodum illius ſingularem, prout diſſertationis titulus deſignat, fuſius expoſiturus, non alienum eſſe duco, antequam ad rem ipſam me accingam, quid alii celeberrimi Practici de mercurii dulcis adhibendi ratione ad methodum noſtram longius aut propius accedente ſenſerint et publicis paſſim monumentis prodiderint, paucis aperire. Etſi enim neminem adhuc mihi reſciſcere licuerit, qui methodum noſtram ſingularem publice explanauerit; tamen indicia, quae viam ei patefacere quodammodo queant, conſtare et ex aliis auctoribus depromi poſſe, minime negabo.

§. II.

1) in larga doſi uti.

a Helwichius.

Ex his igitur, qui draconem hunc mitigatum leni ptyalismo mouendo conſecrarunt alii *largiusculam doſin* ſumendam eſſe praeceperunt vt HELWICHIVS (*n*) qui eum

(*n*) in Eph. N. C. Dec. III. Ann. 7. & 8. obſ. 7.

eum ad ſcrupul. V. binis exemplis adhibuit, in alio ſubiecto vltra gr. LXXII. non aſcendit et ſaliuatio per 14. dies durauit. NENTERVS (*o*) exhibuit mercurium dulcem prima vice ad gr. XV. ſecunda ſcrup. I. tertia drachm. ſemis vsque ad drachm. I. donec ſaliuatio oriatur. B. WEDELIVS (*p*) non facile vltra ſcrup. I. adſcendere ſe memorat.

b Nenterus

c Wedelius.

§. III.

Alii *pauciora* tantum grana praeſcribi neceſſe arbitrati propiorem noſtrae methodum elegerunt. Inter quos in praeſentiarum mihi ſuccurrit WEISBACHIVS (*q*) qui mercurium dulcem a granis 6--8 per triduum et poſt aliquot dies alternis diebus eandem doſin per 3 dies iterum commendare ſolet.

2) in parca doſi vti.

d Weisbachius.

§. IV.

Porro non praetereunda eſt I. G. TRVMPHII LIPSIENSIS olim MED. LICENT. (*r*) methodus mercurii dulcis adhibendi ad noſtram proxime accedens; verba eius digna ſunt vt heic excerpantur. *Mercurius dulcis vtilem hic* (nempe ſcopo ſaliuandi) *praeſtat operam, licet multi ſint, qui ſaliuationem ab hoc non ſemper excitari; ſed ſolummodo ſanguinem purificari contendunt. Obſeruauimus tamen in ſcabioſo excitatam eſſe lenem ſaliuationem, exhibito ad gr. IV.*

e Trumphius.

§. V.

Inprimis autem hic mihi nominandus eſt vir ſummus atque ad reſtaurandam inque clariori luce ponendam medicinam natus STAHLIVS, qui et primus hanc medendi

f Stahlius.

(*o*) in med. pract. Tom. I. Tab. IV. de methodo medendi p. 28.

(*p*) in diſſert. de mercur. dulci cap. III. §. V. p. 32.

(*q*) in der gründlichen Cur aller Kranckheiten Claſſe III. cap. VI. p. 334.

(*r*) in diſp. de ſaliuatione mercuriali p. 9.

dendi rationem inuenit, vt poſtea oſtendemus et parciorem vulgari doſin mercurii dulcis iam in diſſertationibus editis calculo ſuo adprobavit (r) Legimus ibidem vulgata mercurialia diſſuaderi ac deinde mercurius dulcis vſum his verbis proponi: *contentus*, inquit, *poteſt eſſe medicus, legitimo mercurio dulci, quamuis nullum ſplendorem exhibente, dummodo etiam nullum vsquam ſaporis veſtigium offerente. Cuius moderatiſſimae doſes ad 5 - 6. grana in corpus decenter praediſpoſitum exhibitae, continuatione aliquot dierum rectiſſime ſatisfaciunt propoſito ſcopo; dum ſaliuationem leniter ſuſcitant et ad progreſſum etiam ſufficientem deducunt, tanto magis ſi per dies eo plures quotidianus illorum vſus continuetur, immo, pro vere perita aeſtimatione circumſtantiarum in patiente, procedente iam recto fluxu, plane ad vnum aut alterum granum augeatur, fluxus denique totus ita ſibi relinquatur, vt donec ſponte ceſſet, nullum artificiale obſtaculum aut quaecunque remora ipſi obiiciatur.*

§. VI.

g *Praeſes.* Denique CONSVLTISSIMVS D. PRAESES PROMOTOR meus aetatem ſuſcipiendus ea quoque, quae ſibi de mercurio dulci in praxi obſeruata ſunt, pro ſua in me beneuolentia communicauit. Saepius nempe quatuor ad ſex eiusdem grana cum abſorbente mixta et oblatae, vt vocant, inuoluta, ſcopo leniter ſaliuatorio, optabili cum euentu dedit in tumoribus glandularum circa collum exſurgentibus, praecipue illis, qui retropulſae imprudenter ſcabiei ſuam debebant originem; nec non in foetidis manantibus vlceribus, proinde etiam in malignis vlcerationibus ex ſcabie foeda et variolis reſiduis; aliquando etiam in atrophia ex ſcabie retropulſa ortis, ut et in catarrho ſuffocatiuo ex eadem ſcabie retropulſa nato, porro in vehementi humoroſa defluxione chronica intra

(r) vid. diſſert. de officio medici erga caſus chirurgic. §. XLIV. p. 38.

intra oculos, cum eximia visus abolitione et initiante pelliculae concretione ad tunicam adnatam, et cataractam referente affectu: praeterea in fluore albo etiam benigno in certis personis et certa sub methodo; Nec minori cum fructu eandem medelam oppossuit foedis et peruicacibus crurum vlcerationibus, quippe hac via foeminam quandam sterilem diro pedis vlcere per octo annos laborantem, sub blando ptyalismo persanatam et simul idoneam conceptioni factam fuisse meminit. Consueuit autem pulueri huic mane dato, vesperi decoctum aliquod diapnoicum subiungere, laxantibus nonnunquam interiectis.

§. VII.

Ab his non multum abhorret nostra methodus, nisi quod *pauciora* adhuc grana capere ac doseos exiguitatem diuturna continuatione, nisi quidem notabilis effectus subsequatur, compensare suadeat. Videlicet simplicem formulam ex mercurii dulcis rite praeparati subtilissimeque comminuti granis duobus et quintuplo absorbentis cuiusdam ostracodermatis vel solius, vel succo citri semi saturati conficimus, aut plerumque huius proportionis drachmas tres in quindecim partes aequales diuidendas adultis praescribere solemus. Interdum etiam fit, vt duo et dimidium vel tria grana talis mercurii cum absorbente coniungamus; sed priorem doseos molem, vti tutissimam, frequentius elegimus, neque vnquam ad maiorem progredi nos vel vtilitatis vel necessitatis ratio coëgit.

3) in parcissima dosi suadet noster singularis vsus cuius descriptio.

§. VIII.

Hanc ergo minutulam dosin sufficere experti, vniversalibus sic dictis vel catharsi vel sanguinis detractione vel etiam diaphoresi pro varia aegrotantium conditione praemissis, eam quotidie tempore vespertino, vbi cubitum itur, per 10, 20, 30 immo plures etiam, si res postulat, dies sumendam continuandamque praecipimus, do-

modus propinandi.

nec aut ſaliuatio largior aut ſi haec non ſubſequatur, praeſentis mali exſtirpatio finem facere iubeat. Singulis autem hebdomadis ſemel laxans vel purgans quoddam, prout hoc illudue ad diuerſam ſubiectorum, morbi, tempeſtatis rationem accommodatius videtur, interponimus; ſaepe etiam eſſentiam pimpinellae albae vel decoctum reſoluens ex rad. pimpinell. alb. vincetox. lb. ſaponariae aliisque praeſenti morbo congruentibus, ſingulis mane bibere, ceterum et topica idonea applicare et ſi ptyalismus paullo vehementius ingruat, gargariſmatibus reſoluentibus et adſtringentibus mature fauces ab incommodis praemunire aut liberare ſuademus.

§. IX.

effectus eius generales.

Methodum hanc cum debito regimine, de quo cap. ſequenti loquemur, obſeruantibus varia nobis apparuerunt phoenomena. Tantum enim abeſt, vt, quod plurimi fortaſſe ſuſpicabuntur, ſemper vberiori ſaliuae effluxu aegros fatigarit, vt ſaepe etiam teneros molliter educatos, litteratos et inluſtri genere ac dignitate conſpicuos homines, licet ordinariam pulueris doſin vltra viceſimum numerum quotidie perpetuantes, ab omnibus ptyalismi motibus reliquerit intactos. Ex his autem alii in *diarrhoeam* ſub vſu inciderunt non moleſtam, ſed per aliquot dies leniter procedentem interdum recurſantem, et ſua ſponte deinceps finitam; alii haemorrhoidum venas ſibi *aperiri* animaduerterunt, exemplo cuiusdam litterati iam quinquageſimum annum ſupergreſſi et cataracta correpti, qui fluxum hunc alias ſibi conſuetum iam vero per biennium reſtitantem tali modo, vt ſaepe antea optauerat, recuperauit; alii praeter copioſiorum humorum affluxum ad ſedem malorum, quibus laborabant, et placidam vel *reſolutionem* vel abſterſionem et repurgationem nihil fere per totum curationis tempus ſenſerunt, quod a naturali ſanitatis ſtatu alienum eſſet. In illis quo-

a. cathartici.

b. aperiens.

c. reſoluens

que

que qui *ſaliuationem* exinde ſubierunt, magna et memorabilis occurrit operationis differentia. Etenim ſicut videre licuit nonnullos a ſecunda vel tertia doſi protinus in largam ſaliuationem delapſos, quae per vnam alteramue hebdomadem ſine vlteriori pulueris vſu conſtanter perſtitit; ſic alii poſt 10, 13 aut 20mum demum diem lenem huiusmodi euacuationem experti fuerunt. Porro quibusdam accidit vt ſub medelae huius quotidiana ingeſtione ſine cauſſis euidentioribus violentis ptyalismi curſus ſubſiſteret per aliquot dierum interuallum, ſponte quaſi poſtmodum ſeſe reuoluens; aliis eadem nihil plane moleſtiae faceſſiuit nec negotiis leuioribus domeſticis ſeſe ſubtrahere compulit, aliis autem maiora creauit fauciū incommoda, vt pulueris vſum aliquantisper omittere et interea aliis ſubſidiis ſibi conſulere neceſſe habuerint. *d. ſaliuant*

§. X.

Sed ſatis de generali effectu; iam tempus eſt ad ſpecialiora tranſeundi. Non dubito enim, omnes practicos inſignem vtilitatem, quam haec methodus in percurandis *vlceribus* diuturnis et rebellibus nobis attulit, lubentes eſſe audituros; ſi quidem in confeſſo eſt, ſaepe nobis tam dira et nomine *cacoëthicorum* digniſſima mala obuenire, quae, quicquid agas, diutiſſime omnem medendi rationem peruicaciter contemnunt. Inprimis ſaepe et chirurgorum tentamina fruſtratur et aegros miſerandum in modum torquet perpetuus ille largior ſeri aqueoſalini ad inueterata quaedam vlcera affluxus, vtpote quod praecipue ſtagnatione acrius factum laeſas partes profundius erodit, oſſa ſubiacentia carie inficit, aut ſaltem appulſas ſimul glutinoſas et ſubmucidas lymphae nutritiae moleculas corrumpendo abſumendoque impedit, quominus hae conuenienter a natura apponi et explendae ſenſim cavitati inſeruire poſſint. Talem igitur infeſtum affluxum, *Effectus ſpeciales a. in vlceribus cacoëtheis.*

vbi ſemel in conſuetudinem tranſiit, ſolidae curationi ſemper obſtare et ſublatu difficillimum eſſe, nemo expertus diffitebitur, eundem tamen hac methodo perdomitum adeoque vlcera felicisſime conſolidata fuiſſe crebro vidimus, et iam ſequentium inter plures caſuum teſtimonio confirmabimus.

Caſus I. de Virgine vlceribus horribilibus per 4. annos laborante.

Virgo nobilis 20 annorum per 4 annos ex imminutione menſium congeſtionibus ad caput adfflicta, ex plenaria deinde ſuppreſſione inflammationem vuulae experta, temerariae chirurgorum medicationi ita ſubiiciebatur, vt vuula corrupta denique decideret. Accedebant vlcera cacoëthea in pectore, axillis et brachiis vere horrida profunde erodentia adeoque truculentis ſymptomatibus ſtipata, vt, quamuis ea patientia animi a Deo exorata ferre ac delinire ſtuderet, tantae tamen calamitati mors ipſa praeoptanda videretur. Nonnulli quidem ipſam ream contagii alicuius venerei facere conabantur, ſed vana ſuſpicione magis quam euidentibus documentis commoti. Apertisſimum enim erat, chirurgos illam male multaſſe et incongruentibus ſepticis vuulam abſumſiſſe, retentionem fluxus menſtrui adhuc perſtare, vlcera denique ipſa, licet exteriori facie, colore, foetore teterrima ac pene intolerabilia fierent, nullum tamen foedae infectionis indicium praebere. Miſerae igitur virgini, poſtquam per aliquot annos dictorum auctorum imperitia in deteriorem ſtatum deducta erat, perſuaſum tandem fuit, vt hac aeſtate ſe in thermas Mattiacas conferret. Illa promte conſilium ſecuta eſt, ſed tam parum inde ſolatii hauſit, vt fere deplorata reuerteretur. Ad poſtremum ab omnibus cognatis, amicis, et medicis derelicta quantulamcunque a nobis opem petiit, quam etſi promittere non poſſemus, tamen felici ante factorum experimentorum euentu erecti, quid haec methodus valeret, tentandum denique putauimus. Itaque praemiſſis generaliori-

ribus internis resoluentibus euacuantibus, externe dedimus vnguentum ex digestiuis ordinariis cum vnguento Aegypt. oleum myrrhae per deliquium melle chelidon. remixtum addito spiritu vini rectificatissimo camphorato crocato, et emplastro saponato Barbette, vnde meliuscule habere videbatur. Quo facto puluerem nostrum mercurialem per 30 dies vsurpandum exhibuimus, et decoctum aliquod ex rad. vincetox. et pimpinell. albae aut potui ordinario, si vellet, immiscendum aut in forma THEE mane et vesperi hauriendum simul praescripsimus. Haec dum sumeret praeter opinionem saliuatio tertio aut quarto die superuenit, quae deinde tanta cepit incrementa, vt quotidie vnam mensuram, et quod supererat, lymphae acris et salsae corruptae exspueret, gingiuis et lingua valde intumescentibus, faucibus etiam et interioribus oris ardore quodam correptis. Quibus incommodis gargarismate resoluente et linimento occurrere sategimus. Rebus sic habentibus post 12 diem puluerem modo dictum seponi, decoctum vero continuari iussimus; sic vlcera in dies ad oculorum fidem magis magisque abstergebantur, vt intra 14 dies funditus repurgata et consolidata coirent, excepta vna cauitate magnitudinem aciculae vix aequante, quae adhuc aperta madorem quendam vlcerosum identidem plorare videbatur. Omisso licet puluerum vsu saliuatio tamen vti antea procedebat dies noctesque, vt propter serum acre perpetuo affluens nonnulla incommoda circa fauces persentisceret, et aluum per 4 dies aliquando obstructam experiretur, etsi haec sponte deinceps laxationem subierit. Postquam igitur 3 hebdomadibus finitis, serum per saliuationem perpetuo excretum salsam et rodentem acrimoniam amittere coepit, propinauimus dosin pilularum ex extracto panchymagog. croll. mercurio dulc. et resina Ialappae, 5 sedes prouocantem. Neque tamen hinc ptyalismi cursus

protinus interpellabatur, ſed progrediens adhuc pedetentim remiſit, incommoda circa fauces interea ſenſim ſenſimque euanuerunt, aegra vero ipſa alacritatem animi, ſomnum placidum, appetentiam cibi hucusque languentem et fere exſtinctam, nunc eo maiorem auidioremque recuperauit. De cetero ſummis laudibus Deum T. O. M. extulit, qui praeter omnem expectationem humanam, ipſam in priſtinam ſanitatis ſortem reſtitui clementiſſime voluerit. Peractis 4 hebdomadibus luna decreſcente exhibuimus ipſi pilulas balſamicas per 6 dies ad revocandum fluxum menſtruum et ad vlcuſcula, quae adhuc ſupererant, plenarie conſolidanda ordinauimus oleum myrrhae per deliquium. Quibus feliciter ſuccedentibus vt reliqua mali tam tetri deploratique veſtigia delerentur, et roboratione vltima partium, noui affluxus periculum auerteretur, pro colophone ſpirit. vini camphoratum crocatum applicare ſuaſimus.

Caſus II. de Viro vlceribus faucium et naſi defoedato.

Vir 59 annorum temperamenti ſanguineo-melancholici, laborioſus, vsque ad 13 aetatis annum ſatis integra valetudine vſus, actum variolis confluentibus correptus, aegre eluctabatur; quo factum eſt, vt congeſtiones ſanguinis verſus caput, indeque cephalalgia, ophtalmia etc. crebrius ipſum infeſtarent. Haemorrhagias narium ſatis largas vsque ad 30 annum, 36 anno autem ſingulares congeſtiones ad nares expertus eſt, vt guttae roſacea veluti obductae apparerent, rheumaticis deinde doloribus brachiorum ſuccedentibus. Poſt inſtitutam V. S. in pede incommoda paullatim remiſerunt ſed nunquam viſa ſunt plane ceſſare. Circa 57 annum congeſtio ſanguinis verſus vuulam ſe contulit tanta ferocia et inauſpicato ſucceſſu, vt ea pars non ſolum vlcere putrido ſenſim depaſceretur, ſed corruptelis latius ſeſe diſſeminantibus, naſus poſt ½ annum plane concideret; ſeptum enim

nim narium ad os frontis vsque absumtum erat, et in fauces profundus foediſſimusque patebat deſpectus. Tot malis id quoque acceſſit, vt per vnius anni ſpatium fere omni cibo ac potu ab nimios cruciatus et deglutiendi difficultatem abſtinere deberet, atque adeo tetram mephitin ſpiraret, vt omnibus ad ipſum propius accedentibus horrorem incuteret et nauſeam. Conſulti nos illum primo chirurgicis ordinariis medicamentis tractabamus et cum horum ope vlcera quandam deterſionem ac munditiem reciperent, et foetor terribilis infringeretur, ſub initium ſpes affulgebat fore, vt ad optatum finem perveniremus. Cum autem deinde appareret, cariem oſſium propter loci incommoditatem aliasque cauſſas nec pharmaceuticis nec chirurgicis remediis decenter auferri poſſe, hanc quidem medicationem plane relinquere coacti ſumus. Nullum itaque praeſidium ſupereſſe videbatur ad radices huius mali euellendas; quapropter cum idem magis magisque in dies ſeſe diffunderet, ac certam vitae perniciem moliretur, tandem in mentem venit mercurii dulcis, ſeu *pulueris* ex eo parati, vt vocare ſolemus, *reſoluentis* vſum hic quoque experiri. Adſpiravit coeptis diuina benignitas, miſerumque et diu afflictum hominem releuauit. Cum enim dictus puluis, primo diaphoreſin excitaſſet, ac deinde mucidos cacochymicos humores per ſaliuationem ſtrenue expuliſſet, praeſentiſſimum obtigit lenimentum; quippe poſt 35 doſes aſſumtas omnis pene dolor euanuit, et vlcera, quae iam oculum ſiniſtrum occuparant, naſum totum et dimidiam partem palati exederant, ſenſim plenius emundata, ſuccreſcente noua carne, feliciter coaluerunt. Nihil itaque ſupererat quam vt ipſi ad praeuertendum nouum affluxum venae ſectionem aequinoctialem et ſubinde laxantia etc. Eſſent. pimp. alb. commendaremus; ſub quorum vſu adhuc dum optime valet.

An-

Caſus III. de Ancilla vlcere manante pedum per XI annos afflicta.

Ancilla ruſtica 27 annorum temperamenti ſanguineo-melancholici ſub fluxu menſium terrore vehementi perculſa, inſequente ſuppreſſione, multa pathemata hyſterica perpeti debebat. Poſt varia emmenagoga fortiora a chirurgis adhibita loco fluxus menſtrui eryſipelate cruris corripitur, quod minus congruenter tractatum in vlcus degenerauit et per 10 annorum ſpatium complures chirurgos in medendo exercuit. Anno XI. autem haec aegra poſtmodum nobis ſe curandam tradebat, multisque ex collegio D. IVNCKERI ipſam ex legibus methodi diligenter tractantibus non parum negotii per 10 menſes faceſſebat. Neque tamen ex voto ſucceſſit curatio. Licet enim menſes interdum redire ipſumque vlcus repurgari et conſolidationi non adeo reniti viderent; tamen largus ille et perpetuus ſeri appulſus, qui nec laxantibus, nec diaphoreticis auerti poterat, perfectae reſtitutioni grauiſſimum obiiciebat impedimentum. Itaque ad puluerem hunc ſic dictum *reſoluentem* confugimus, datisque eius aliquot doſibus tantum profecimus, vt menſibus prius in ordinem reductis, et ceſſante affluxu ipſa ſanata ad labores priſtinos reuerti potuerit. Cum etiam deinceps ex leui quadam cruris alliſione idem vlcus recrudeſceret, ac propter maturioris medelae neglectum latius et profundius ſe propagare inciperet, iterum blandae ſaliuationis ope ſanitatem recuperauit.

§. XI.

b. in parotidibus.

Poſſemus plura memoratu digniſſima exempla ſubnectere, ſed, ne diſſertatio in nimiam excreſcat molem, ad alia nobis properandum eſt, et iam breuiter dicendum de *parotidibus*; quae quantam ſubinde difficultatem medentibus obiiciant, non eſt huius loci vberius explanare. Illud ſatis conſtat, viſcidam ac tenacem in ipſis reperiundam ſtaſin ſaepe, niſi primis initiis obuiam eatur, nec topicorum diſcutientium poteſtati cedere, nec internorum

norum, quae vulgo commendantur, reſoluentium armis poſſe ſuperari. Quid? quod interdum praeter contumaciam grauius inualeſcunt, febriles vehementes motus accendunt, exquiſitisque cruciatibus et exulceratione acri ac rebelli, nonnunquam aegros adeo macerant, ut aliis omnibus irritis in morte ſolum requies tandem ac ſolatium inueniatur. Quale exemplum, cum aliquando Inluſtri STAHLIO obuenit, auſpicato virum experientiſſimum ſubiit cogitatio hanc medicationis rationem adhibendi, quam ex voto ſuccedentem deinde feliciter imitatum ſe eſſe celeb. D. IVNCKERVS in Tabulis ſuis *(t)* teſtatur. Verba digna ſunt vt hic inſerantur. STAHLIVS *de parotide, quae in tertium annum durauerat, teſtatur, quod per ſaliuationem feliciter curata fuerit. Adhibitam autem hanc fuiſſe cautelam, vt leniter inſtitueretur ſaliuatio, vſurpatis per diem 2-4 granis mercurii dulcis, adhibitis inſuper medicamentis, inſenſibilem tranſpirationem promouentibus, et bono ſeruato regimine. Inſuper etiam auctor fuit, vt patiens loco aliorum decoctorum vteretur decocto ſaponariae et radic. pimpinel. alb. Hac ratione durauit ſaliuatio in quartam vsque ſeptimanam, qua feliciter reſtitutus fuit patiens, cuius pater eodem affectu per exacerbationes miſere interiit. Eadem remedia et eandem methodum felici cum ſucceſſu* in ſequenti caſu *adhibuimus.*

Caſus IV. de Parotide per 8. annos durante.

Virgo inluſtriſſima 32. annorum *per 8. annos parotidibus*, magnitudinem oui columbini aequantibus, laborabat, et fruſtra diu adhibitis multis variisque medicaminibus omnem fiduciam recuperandae ſanitatis iam ita abiecerat, vt medicum vltimo arceſſitum et ſpem quandam reſtitutionis proponentem rideret, datumque conſilium prorſus aſpernari videretur. Sed victa tandem cognatorum precibus, triginta doſes *pulueris* per vices quotidie intra menſem vnum aſſumſit, idque iam eo alacrius,

(t) In Tab. chirurg. p. 154.

crius, cum poſt 10 et 20 doſes aſſumtas tumorem ſenſim decreſcere videret. Finito menſe iam tantum auxilii allatum erat, vt tumor nucis auellanae molem non excederet. Facilius igitur erat ei perſuadere, vt *pulueris* vſum repeteret et per 30 dies adhuc continuandum ſtatueret. Quo facto tota parotis iam funditus eradicabatur vt nullum amplius eius veſtigium remaneret. Id autem admirabile omnino maximeque notandum fuit, tantum puluerum effectum ſine vlla ſaliuatione, et ſola placida ac fere inſenſibili reſolutione poſt 60 doſes aſſumtas editum fuiſſe, omniumque exſpectationem ſuperaſſe.

Ex his, puto, luculenter apparet tam praeclara huius methodi inuentio, quam admirabilis efficacia, et probabiliter colligi poteſt, eandem in aliis tumoribus glandulosis refractariis et ſcrophulis circa collum protuberantibus, niſi iam peculiaris textura acceſſerit, debellandis per aeque eſſe valituram; praeſertim cum alii iam mercurialia et ſpeciatim aethiopem nigrum ſcirrhis reſoluendis deſtinaſſe legamus (*u*). Ceterum cum optatam huiusmodi virtutem nondum pluribus experimentis cognitam perſpectamue habeamus, indubiam ſucceſſus ſpem nemini in hiſce proponere poſſumus, placuit tamen ferente ſic occaſione ea citare, et prudentiorum iudicio experientiaeque relinquere.

§. XII.

e incataracta incipiente.

Attingimus denique truculentum illum et cariſſima lucis vſura nos priuantem morbum *cataractam*, cuius intricatam indolem ac diuerſitatem licet recentiorum diligentia paullo clarius expediuerit; medelam tamen magna ex parte prorſus incognitam (nam multae cataractae plane inſanabiles exiſtimantur) ſaepe ſine operatione fruſtraneam, ſaepe hac peracta, infidam eſſe practici experiuntur.

(*u*) conf. celeb. D. IVNCK. chirurg. p. 150. No. 32.

untur. Quapropter multi in eam praecipue curam incumbendum esse duxerunt, vt, quando subinde leuioribus indiciis se prodit ac pedetentim ingraueſcit, probata quaedam medicatio reperiretur, ad initium tanti mali depellendum aut saltem progressum arcendum idonea. Itaque praeter chirurgicorum praesidiorum V. S. scarificationum menstruarum, fonticulorum, setaceorum adplicationem, itemque praeter generalium catharcticorum praescriptionem varia e penu pharmaceutico depromserunt practici, atque in specificum discussionis vsum subinde cum insigni coecutientium leuamine traduxerunt. Cum autem nobis imitantibus, laudatus talium ophthalmicorum succeſſus minus saepe responderet, neque aliunde opem petere aut diuturnis tentaminibus aegros fatigare consultum videretur; placuit denique experiri, quantum hac methodo in principio cataractae ab interno fonte orientis proficere liceret. Siue enim, vti veteres opinati sunt, pellicula tenuis, siue pro recentiorum placitis humoris crystallini opacitas ex subtiliſſimorum vasculorum obstructione nata hanc oculis caliginem offundere statuatur; spes concipi poterat, e pulueris huius subtiliter *resoluentis* vsu maturo et continuato nonnihil emolumenti esse redundaturum. Quam spem quousque impletam videre nobis contigerit, sequentia inlustrabunt exempla.

Casus I. de Cataracta ex pathemat. hypochond. orta.

Vir quidam litteratus 44 circiter annorum iam per plures annos ob sedentarium vitae genus, et quotidianam in studiis prosequendis assiduitatem factus hypochondriacus, per litteras querebatur, visum sibi in dies magis debilitari, idque iam tantum incrementi sumsisse, vt prae oculorum caligine scripta perlegere aegerrime valeret. Inprimis notabile erat, obscurum quendam circulum, cum vel candidiſſimum calamum scriptorium intueretur, ipsi obuersari, minuto quodam centro clariore

vt exprimebat, intermicante. Nos illi conuenientiorem diaetam amplecti iusso, praemissis generalioribus, misimus tum aquam quandam ophthalmicam, tum 30 doses huius pulueris, quibus decenter intra mensem assumtis primum insigne leuamen, deinde etiam optatam visus claritatem recepit. Quamuis, vt ipse rescripsit, nulla ptyalismi indicia sub aut post vsum se prodere visa sint.

Casus II. de Cataracta ex obstructione mensium nata.

Virgo ciuilis conditionis 20 annorum crebris lectionibus addicta, postquam in mensium obstructionem inciderat, eodem hoc malo conflictabatur adeoq; caligabat, vt magno suo dolore a sacris legendis plane prohiberetur. Perstitit hoc vitium per biennium, et quamquam parentes nihil intentatum relinquerent, ad tollendum id, plurimis, quae alioquin probatissima fuerant, adhibitis remediis; tamen eo vsque insanabile et inconcussum remansit. A nobis quoque multa diu in subsidium vocata sunt ad fluxum menstruum debite reuocandum, congestiones deriuandas et grauiorem hanc nebulam specialioribus ophthalmicis dissipandam; sed omnibus irritis, necesse erat ad hunc puluerem confugere, quem postquam tricies ex lege methodi iteratum propinauimus coniunctis simul emmenagogis; certe cum magna animi voluptate vidimus hoc solo tantam calamitatem depulsam, virginisque et parentum desideria fuisse impleta, idque adeo leniter sine vlla saliuatione, vt mitiorem iuxta ac praeclariorem effectum optare non potuissemus.

§. XIII.

d. in vlceribus venereis.

De *vlceribus venereis* & tumoribus in nodis Gallicis non est quod quicquam latius adiiciamus, atque huius methodi praestantiam in iisdem radicitus exstirpandis pluribus commonstremus. Nam cum mercurialia conuenienter applicata in corruptelis eiusmodi lymphatico-spermaticis a specifico contagio pendentibus emendandis et exhauriendis praecipua quadam facultate,

aliis omnibus medicamentis praeponderare concordibus practicorum ſuffragiis iudicentur; tum planiſſime intelligi poteſt noſtrum puluerem idem auxilium ſpondere, quin et eo tutiorem magisque idoneum fore, quo euidentius placida reſoluente et per ſaliuales aliosque meatus exantlante vi caeteris fere omnibus antecellit. Certe numeroſis documentis facile poſſemus euincere, quantopere tali modo afflictis ſatis fecerit, eaque cuncta praeſtiterit, quae ab aliis generoſioribus remediis intra tam breue temporis ſpatium vix exſpectaueris. Illud adhuc ſpe magis praecipimus, quam luculentis teſtimoniis ſuffulti aſſerere audemus, futurum, vt eadem haec methodus ſcabiei ferinae ſaepe admodum contumacis acerbitatem et ferociam coniunctis aliis ſubſidiis miteſcere compellat; praeſertim cum iam alios ſcabioſos ſaepe eius ope liberatos fuiſſe certiſſimum ſit. (y)

e. in ſcabie ferina.

f. in ſcabie ſimplici.

§. XIV.

Sed haec aliaque ſatagentibus rerum ſuarum practicis vlterius meditanda et experiunda relinquimus, contenti hoc capite methodum hanc ſingularem pro virium modulo, ac ea, quam diſſertatio patitur, amplitudine excuſſiſſe. Plura addere non ſiuit propoſitum nec ſuaſit neceſſitas, cum vnicuique ſupra citati maxime caſus, quorum circumſtantias ex ſenſuum fide ſollicite conſcripſimus, attente lecti ac penſitati ad momentum rei diſpiciendum diiudicandumque ſufficere poſſe videantur. Ceterum maiorem lucem affundent et oſtenſam huius methodi vtilitatem, adſpirante diuino numine, ſtabilient vberiora experimenta, quae quidem tentare et capere in miſerorum ſolatium, ſub debitis cautionibus iam ſtatim indicandis, neminem, vt arbitramur, poenitebit.

commendatio huius methodi.

(y) vid. JVNCK. Conſpect. med. Tab. XC. p. 738. in fine.

CAPVT III.

DE MONITIS ET CAVTIONIBVS CIRCA MERCVRII DVLCIS VSVM SINGVLAREM OBSERVANDIS.

§. I.

Methodus haec iuuat.

QUemadmodum praeſtantiſſima quaeque pharmaca intra certos virium ſuarum cancellos agunt, vltra quos eadem extendere nefas et temerarium foret, ac praeterea ſub vſu iuſtis cautionum limitibus circumſcribenda ſunt; ſic aequiſſimum eſt, idem in hac noſtra methodo diligenter attendi. Etſi enim admirabilem ſui virtutem in allegatis morbis tuto repraeſentarit, tamen ad hanc tanquam ad ſacram quandam anchoram in aliis nedum *omnibus* deploratis malis temere confugiendum eſſe neutiquam exiſtimo, haud ignarus, multos aegrotantes obuenire, quos mercurialium etiam tutiſſimorum vſus potius in exitium praecipitare, quam incolumitati reddere animaduertitur. Neque affirmauerim, pulverem noſtrum noſtrum morbos, quibus congruit, tam certo, *ſemper* depellere, vt nunquam medentium fallat expectationem. Ingenue namque fateor nobis etiam quosdam *tumores* ſub axillis et auribus occurriſſe, qui pene fruſtra hac methodo oppugnati ſunt, et vel ante ſperatam reſolutionem in abſceſſum tranſierunt, vel pertinaciſſime longo tempore immobiles ſubſtiterunt. Neque etiam in *vlceribus* cacoetheis putridis ſemper conſummatae curationis voto potiri licuit, quamuis omnium circumſtantiarum rationem, quoad eius fieri poteſt, habere et manifeſta impedimenta ſatis amoliri ſtuduerimus. Idem igitur cum aliis imitantibus forte euenturum eſſe praeuideam; tamen ex his

1) *nec vbique*

2) *nec ſemper v.g.*

a. *in tumoribus.*

b. *in vlceribus.*

his concludi nequit, remedium esse infidum et contemnendum; sed potius, cum alias saepe profuerit, quemuis decebit in tali casu eo magis attentum solertemque se praestare ad perscrutandos naturae abditos recessus, et caussam denique, quae optatum effectum retardat, sagacius inueniendam.

§. II.

Inprimis autem indagare expedit, num vlcera ex vera scorbutica humorum deprauatione originem ducant, vel inde acrimoniam adhuc susciplant; an etiam ex concursu sanguinis stricte dicti putrescentis auctiore *cancroideum* foetorem, dolorem, pernicioſam erosionem, adeoque diri carcinomatis indolem ostendant; an duntaxat e simplicioribus lymphae saliuae et seri corruptelis (licet graueolentibus et depascentibus) nata sint, taliumque maxime humorum perpetuo affluxu adhuc dum foueantur et obfirmentur. Quandoquidem pro certo ponitur, in his vltimis puluerem nostrum tutum ac saepe salutarem fuisse, in scorbuticis autem et vere cancrosis nemini autores sumus, vt eodem vtatur; quippe hic mercurialibus cruciatuum omniumque symptomatum crudelitatem plerumque augeri constat, idque nuper admodum tristi *exemplo* cognitum est, vbi quidam suspecta linguae vlceratione conflictatus, nescio proprio errore an chirurgi hortamento, dissuadentibus omnibus medicis, vnguentum mercuriale adhibuit, seque ptyalismo insequente, iugulauit.

3) Noxia in vlceribus cancroideis.

exemplo probatur.

§. III.

Ex hisce pariter apertum est, hanc methodum *scorbutica* labe contaminatis minus salubriter accommodari. Nam cum eorum sanguinem peculiaris acrimonia cum semi putrido statu coniuncta deprauauit, tum verendum est, ne mercurius infestam qualitatem adsciscat, nimiaque resolvendi aut plane solidas partes arrodendi potentia aegros

4) infida in scorbuto.

aegros in vltimum diſcrimen coniiciat. Quapropter etiam circumſpectos practicos ab omnium mercurialium vſu in ſcorbuto dehortari videmus. (y) Idem iudicium valet de *hypochondriaco malo*, in quo ſpiſſitudinem et ſtagnationem ſanguinis in vena portae et annexis eiviſceribus adeo non corrigit mercurius, vt potius omnia ſymptomata vehementius exaſperare ſoleat.

5) intuta in malo hypochondriaco.

§. IV.

Quae cum ita ſe habeant, multo magis prouidendum eſt, ne methodum hanc forte illis, qui ſimul *internis laeſionibus* praecipue vlceroſis hecticis, interdum haud adeo manifeſtis, laborant, applicemus. Enimuero hic anguis in herba latet, quem et mercurius vi ſua diſſoluendi reſuſcitare poteſt, tantamque ſenſus acerbitatem inferre, vt miſeri ex Charybdi in Scyllam incidant, ocyusque conſumantur. De *ſcirrhis* per mercurialia diſcutiendis, quid alii ſenſerint, iam ſupra (z) innuimus; at vero praeſertim ſi mere ſanguinei ſint, ſi doleant nonnunquam, ſi aegroti habitus imbecillior aut alia mala coniuncta ſint, nos huiusmodi periclitationes refugiendas eſſe autumamus.

6) periculoſa in laeſionibus internis.

7) Non indifferenter in ſcirrhis.

§. V.

Neque aliter cenſendum videtur de tumoribus *hydropicis*, vtpote quos plerumque a viſceris alicuius vitio oboriri aut ſuſtentari nouimus. Vnum tamen neque id plane ſilendum exemplum nobis occurrit, vbi aſcitico cuidam multis ante medicaminibus exercito, vt iam tumor ex abdomine depulſus in ſolis pedibus fixus et immobilis reſtaret, neſcio qua fortuna aliquot huius puluēris doſes porrectae ſunt, eo eventu, vt accepto inopinato,

8) Improbata in hydrope.

(y) vid. STAHL. diſſert. de ſcorb. et luis venereae different. p. 23. It. IVNCKER. L. C.

(z) vid. cap. II. §. 8. in fine.

to, leuamine laetus aeger plures huius efficaciae puluiſculos ſibi dari poſtularet.

§. VI.

Tutius autem hoc remedium praeſcribitur eiusmodi *cephalaea* correptis, quam vel ſtatus ſimplex *vlceroſus* vel ſcabioſo-impetiginoſae corruptelæ ſub cute latentes vel vlcerum alibi manantium ſuppreſſio vel denique venerea inquinamenta ciere ac ſaepe diutiſſime alere conſueſcunt. Ecquis enim ignorat, talibus cauſſis cephalaeae inueteratae ſubigendis ipſam ſaliuationem a practicis ſubinde opponi, duroque nodo durum adhiberi cuneum? vnde et haec methodus tanto commendatior erit, quanto magis commoda et a turbis infligendis remota. Sed tamen omnes circumſtantias antea gnauiter expendere atque aliis cauſſis praeſentibus ſimul occurrere conueniet. In ipſa autem *cephalalgia clauo hyſterico* nedum in aliis congeſtionibus & morbis ſpaſmodicis v. g. in *arthritide podagra* etc. inſiſtere huic methodo nulli vnquam ſuaſerimus.

9) fructuoſa in certa cephalaea.

10) luctuoſa in doloribus ſpaſticis.

§. VII.

Proſpiciendum quoque eſt ne *infantibus* et *ſenibus* eneruatis eandem adhibeamus. Etſi enim plerumque placide operetur tamen tenera et infirma huiusmodi ſubiecta aliquando afficere poteſt vehementius, atque ob debiti regiminis aliorumque neceſſariorum intolerantiam grauius periculum intentare. Non minus, antequam huc in morbis ſequiorem ſexum affligentibus progrediamur, exquirere nos decet, quo tempore fluxum *menſtruum* experiri ſoleant; vt eo ceſſante, ſtatim hoc curationis genus auſpicari et maximam partem intra tempus intermedium abſoluere, adeoque turbas et incommoda, quae mercurialia ſalutari huic euacuationi minitantur, eo facilius auertere poſſimus. Idem de *praegnantibus* tenendum eſt, quas potius aliis iucundiore aut leniore ſenſu foetum et matrem erigentibus, quam tali medicatione tractare par erit. Non poſſum tamen quin hic *exemplum* apponam grauidae, non hanc modo curandi

11) infantibus et ſenibus promiſcue non ſuadenda. nec menſtruatis.

12) grauidis non commendanda. licet exemplum in con-

trarium affertur.

rationem sed et alia vulgo suspecta validiora remedia sine noxa perpessae. Cruciabatur illa truculentis pathematibus hysstericis et fluore albo molestissimo, atque impatientissime omnia, quae his malis leuandis suffectura iudicari possent, desiderabat. Neque in praescribendo segnem se praebuit medicus probatissima quaeque antihysterica etc. saepius repetere iubens, vtpote qui pariter ac ipsa mulier nullam grauiditatis suspicionem conceperat; sed tamen cunctos hosce conatus morbi pertinacia per aliquot menses elusit. Cum itaque afflicta enixius aliorum praesidiorum vsum expeteret apparentibus nullis adhuc grauiditatis indiciis accepit denique nescio vnde, puluerem hunc resoluentem et protinus a quarta dosi in ptyalismum incidit post octo doses ita increbescentem, vt deglutiendi difficultas et copiosus salliuae effluxus essentiae discutientis vsum regimenque diaphoreticum imperare iuberent. Quibus haud ex voto proficientibus subiuncto purgante saliuatio ad moderamen et finem deinde peruenit, Quin et postea varia emenagoga propinata et V. S. in pede adhibitam, ac nihilo secius improuiso denique sanum atque omni ex parte absolutum foetum excluſum ab hac matre fuisse memini. Ex quo vti inter alia huius methodi lenitas intelligitur; sic tamen imitandi consilium nemo temere inibit, cum talis casus ad rariorum successuum classem pertinere videatur.

§. VIII.

13) cum aliis remediis copulanda.

a. vniuersalibus.

b. specialibus.

Ceterum quicunque hanc methodum congruentibus morbis applicandam esse decernit; illum simul de *aliorum* quoque *medicamentorum* commode aptandorum subsidio cogitare necesse est. Neque enim generalia aut sic dicta *vniversalia* vbiuis sine detrimento negligi possunt, neque *specialia* e. g. in vlceribus externa detergentia, mundantia, balsamica vilipendenda sunt. Quae si oscitanter fiant aut plane praetermittantur, solidae curationi *remoram* iniici, lentumque et spe multo inferiorem effectum subsequi obseruauimus.

§. IX.

§. IX.

Id quoque experturos curae cordique habere oportet, vt ſi qua *incommoda* ſub vſu huius methodi impendeant aut exſiſtant, mature paullo maiorem eorum impetum anteuertere, aut infringere et retundere conentur. Non enim diſſimulandum eſt, interdum vires inde debilitari ciborum appetentiam minui et nauſeam moueri, aut praecipue vbi ptyalismus imminet vel procedit, inſignem aliquando laſſitudinem artuum, faucium, linguaeque tumorem ac deglutiendi difficultatem ſuperuenire. Quae moleſtia licet identidem a natura ſponte vincantur, tamen etiam ſaepe auxiliatricem artis operam depoſcunt. Cauendum autem eſt, ne aegrotus culpa ſua grauiora, quam alias inſequi ſolent, mala ſibi contrahat, vt accidiſſe recordor cuidam puellae, quae cum ad vlcuſcula faciem turpiter defoedantia non mediocri ſucceſſu puluerem hunc vſurparet, poſt aliquot dierum vſum ſiue ex impatientia ſiue alio errore duas doſes ſimul contra praeſcriptum veſperi abſorpſit, indeque ſibi tot incommoda circa fauces praecipue creauit, vt ante decimum quartum diem ad quietem et integritatem priſtinam reduci non potuerit.

praecipue in ſympto-matibus.

§. X.

Vltimo *diaetae* et regiminis quoque quaedam ratio habenda eſt, nam his plane deſpicatui habitis multos grauiore moleſtia aut ſaltem tardiore proſperae curationis exitu negligentiam ſuam luiſſe animaduertimus. Quocirca aequum erit iniungere afflictis, vt dum hoc remedio vtuntur, moderato et aequabili calore cibo modico molli et euchylo, potu leni claro vel ex ordinaria modo probe defoecata nec acorem indepta cereuiſia, vel ex decocto radicum et herbar. conuenient. C. C. hordei cum paſſulis maioribus etc. corpora ſua reficiant, omnem autem refrigerationem, coelum humidum tempeſtuoſum, cuncta acida ſalina acria, denique et turbas ac permotiones animi quoquo modo deuitent. Quodſi fiat, vtique

14) diaeta.

nobis licebit, esse securioris quamuis me minime praetereat, plurimos, quos hoc medelae genere nos curandos suscepimus, ad exactas huiusmodi diaeteticarum praeceptionum leges se nunquam attemperasse (cum rei familiaris cura illis potior magisque necessaria duceretur) et nihilominus, a reformidatis alias incommodis liberos, perfecte tandem conualuisse.

FINIS.

DOgmata qui medici solers scrutatus in arte es,
Intentus metae non remorante pede,
Numinis auspicio superans fastigia tandem,
Iam poscis meritis praemia digna tuis.
Perge igitur felix! felix ascende cathedram,
Quam non invitus pandit Apollo tibi.
Annuat ipse Deus coeptis et cuncta secundet
Conatusque tuos integritate beet.
Sic dulces poteris fructus gustare laborum,
Sic miseris veniet, te veniente, salus.

Praeclare docto Domino Candidato fausta quaeuis apprecans adiecit

Fridericus Hoffmannus.

LAurea certamen sequitur Pugnamque triumphus,
Praemia labores condecorare solent.
Hinc est quod Tua nunc *Havighorsti* tempora cingat
Purpura Te digna; Teque sequatur honos.
Merita quapropter laborum praemia grator,
Succedant votis prospera cuncta Tuis.

Auditori honoratissimo, solerti, et Dignitate Doctorali promerita decorando, gratulabundus applaudit.

Georgius Daniel Coschvvitz
M. D. P. P. O.

MErcurii *medicam* virtutem oſtendis AMICE,
Sed quis perſpiciet *chymica* quid valeat?
Sic *ex parte* licet tantum cognoſcere *partes:*
Totum de *toto* non niſi Numen habet.

Haec praenobiliſſimo Candidato, qui ſummos artis medicae honores digne iam ſortitur, in memoriam amoris feſtinante calamo ſcribere voluit

D. Ioannes Iuncker.

SIc fuit, eſt, et erit, ſummum quicunque Iehouam
Vero corde colit, pura quia mente colendus,
Poſt mala multa etiam tandem hic mactatur honore,
Nam bona ſunt ſubmixta malis, lacrymasque ſequntur
Gaudia, ſi incaſſum non tempus nobile tranſit,
Quod nunc hocce *Tuum* ſpecimen ſatis exhibet, inde
Praemia digna capis, dum non ſine laude reſoluens
In medium profers quoddam praeſtans medicamen,
Effectu cuius laudem *Tibi* promeruiſti,
Ad quam ſincerus gratatur amicus Amico,
Exoptatque bonos progreſſus mente fideli,
Vtque aegris ſemper *Tua* ſit medicina leuamen.

Quae pauca in honoris et amicitiae teſtimonium adiicere debuit amicus TVVS

I. D. E. Med. Doct.

COncertant Phyſici (ſed adhuc ſub iudice lis eſt)
Nec, quae Mercurii ſint elementa, probant.
Quaerentes pungunt, fugiuntque abſtruſa veneni,
In ſublimato, ſpicula, Mercurio.
Mercurium fixum Chymici venantur, at illos
Saepe etiam fallax ludificatur auis.
Certius et pulchrum eſt, vſum luſtrare medentem,
Atque inuenta nouis amplificare modis;
Vt, Cognate, iuuat Te iam docuiſſe ſalutem,
Quae noua, Mercurio ſubueniente, datur.

Gratu-

Gratulor hoc ſpecimen, pariter fructumque laborum
Non vanum, praeſens quos comitatur honos.
Ipſe Deus clemente manu tua coepta ſecundet
Practica, et adiunctum perleue reddat onus.
Sic ſolidam praeſtabis opem languentibus, atque
Laetus eris crebro Te feriiſſe ſcopum.

Sic gratulabundus accinit et Conſobrino ſuo dilectiſſimo omnigenam felicitatem precatur

G. Gerlacius,
Oldenſalia Tranſiſalanus.

QVamlibet gnauis humeris moleſtum
Iniicit pondus labor atque cura,
Vt putes grandes tibi ſubmouendos
Eſſe molares:
Attamen notum, fieri labores
Antea tergum grauiter prementes
Poſtea factos valide ſuaues,
Nectaris inſtar.
Si ſyphi pondus nihil is volutat,
Qui ſuos auſus moderante ſancto
Expedit flatu, ſtudiumque iuſto
Ordine tractat.
Namque conatus toties receptus
Dum ſuas metas ſequitur tenetque,
Efficit laetos animos, & arcta
Membra relaxat.
Mens memor tantum remanet laboris;
Vix ſubit noſtros animos imago
De graui ſenſu variisque noſtris
Viuida curis.
Gutta ſudoris peramara ceſſat:
Nec tuus vultus tegitur madente
Amplius ſtilla, quibus ipſe muſas
Vngit Apollo.
Quando enim fructus capimus laborum,
Tunc quaſi emanant refluuntque acerbo
Fonte pergrati latices ſaporis,
Flumina lactis.

Sic-

Sicque pro claris lacrimis refertur
Fructuum dulcis ſapor, ac beatis
Auſibus noſtris fruimur, quod angens
Cura receſſit.
Tu Tuas claras, *Hauighorſte*, curas
Perpeti ornaſti ſtudio, recuſans,
Quae faceſſiuit medicina ſollers,
Pondera nulla.
Saepe naturam meditatus, amplum
Nactus es campum, roſeo rubore
Floſculos ex quo caperes, Tuaque
Creſceres arte.
Inde Doctoris titulum mereris
Quem Tibi muſae tribuent Galeni,
Praemium tanto ſtudio ferendum;
Quod Tibi grator!
Praxeï coeptae faueat ſupremum
Numen! Et curas miſerûm ſecundet!
Patriae vt toti *domuique* grata
Munera praeſtes.

His Candidato digniſſimo ad Doctoris in arte Medica gradum adſpiranti, laudabile propoſitum gratulatur

Io. Franciſcus Bernd,
S. S. Theol. Cult.

WAn man Dein werthes Haupt umgiebt mit Palmen-Kräntzen,
Mein theurer Jonathan; ſo fordert meine Pflicht
Dir wohlverdientes Lob, und einen Wunſch zu ſchencken.
Drum ſtimm ich freudig bey, da Mercur ſelbſt ausſpricht:
Weil Du die Tugenden von mir haſt wollen ſchreiben,
Will Ich der Nach-Welt Dich nach Würden einverleiben.

Hiemit wolte dem Herrn Reſpondenti als ſeinem wertheſten Freunde, ſeine ſchuldigſte obſeruantz bezeugen, und zu deſſelben rühmlichſten Vorhaben alles gedeyliche Glück von Hertzen angewünſchet haben

Deſſelben beſtändigſt-ergebenſter Freund und Diener
W. R. C. Haſt, Oſnabr. Weſtphal. LL. C.

Als man **Dich** krönete mit längst verdienten Zweigen,
Wolt ich, mein **Wehrter Freund** glückwünschend mich bezeigen.
Kaum hatt' ich **Deinen** Ruhm zu schreiben angefangen,
Da kam gantz unvermerckt Hygeia angegangen
Und sah von hinten zu auf die gemachte Sachen
Drauf sprach Sie lächelnde: Was wilstdu armer machen?
Dein Kiel ist nicht geschickt verdienten Lob zu geben,
Das Werck soll meinen Sohn als Meister mehr erheben.

Hiemit hat seinen hertzvielgeliebten Gönner und Freunde, zu seiner schon längst-verdienten Doctor-Würde hertzinniglich glückwünschen wollen dessen treuer Freund und Diener

Theod. Wilhelm Grothaus.
aus Osnabrück der Artzney beflißener.

QUi magnam sacrae Medicinae condidit artem,
Felicem Medici qui facit esse manum,
Ille Tuis adsit coeptis, dextramque gubernet,
Aegris quo dextre consuluisse queat.
Haec precor, haec voueo; omnipotens mea vota secundet;
Vt viuas laetus, laetaque vota trahas.

Ita vouet, et Fautori atque Amico perdilecto animitus gratulatur, eique plurimos inuidendos in praxi exoptat successus,

A. P. Meyer Leuera-Mindensis LL.C.